

34

1795 y

ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA WITTEBERGENSI

H. T.

DECANVS

GOTTLIEB WERNSDORFFIVS

PHILOSOPHIAE AC. IVRIVM DOCTOR, INSTITVTIONVM

IMPERIAL. PROFESSOR PVBL. ORD. CVRIAE PRO-

VINCIALIS, SCABINATVS ET FACVLTATIS

IVRIDICAE ASSESSOR.

1795



ORDINIS IURIDICI

ACADEMIAE WITTEBERGENSIS

DECANVS

GOTTLEB WERNSDORFFIVS

PHILOSOPHIAE AC IURVM DOCTOR, INSTITVTIONVM

IMPERIALI PROFESSOR PUBL. ORD. CVRIAE PRO.

VINCIAE SCABINVS ET CAELTIS

IURIDICAE ASSessor

WITTEBERGAE, 1771. P. P. Typogr. Gleditschii, 11. p. 112.
P. P. Typogr. Gleditschii, 11. p. 112.
P. P. Typogr. Gleditschii, 11. p. 112.



Exposuimus nuper^{a)} ea argumenta, quae suadent partibus in retrouenditione, quae sit ex pacto priori venditioni adiecto, illud pretium placuisse, quod iisdem in prima venditione placuit. At cum non desint argumenta iis, qui contrariam sententiam defendant, et illud pretium offerendum esse doceant, quod ei tempore conueniat, quo res sub pacto de retrouendendo emta, ex ipsius huius pacti vi atque potestate iam restituenda est: dispiciendum erit, an haec ipsa argumenta tam firma sint, ut eorum grauitati et ponderi cedere debeamus.

Dicunt autem illi, qui emtoris partes tuentur, huicque illud pretium deberi censent, quo res eo tempore vendi possit, quo iam ex prioris venditionis lege venditori restituitur, nouam iniri hoc ipso tempore venditionem, quo oblato pretio prior emtio resoluitur, ideoque de hoc ipso nouae huius venditionis pretio quaeri. Esse autem communem, quae in omnibus omnino venditionibus obseruari debet, regulam, iustum rei pretium soluendum esse, ne scilicet vna alterave pars de laesione sibi illata conqueri possit. Iustum vero pretium non videri, quod olim quidem rei, cum venderetur, conueniebat, huic ipsi autem tempori, quo noua venditio celebratur, nullo modo conuenit. „*Pretium cuiusque rei pro tempore esse, cum bene ista laudaueris tanti esse, quanto plures venire non possunt*,”^{b)} et rem tanti aestimari, quanti

a 2

emto.

a) In Progr. in quo ad solemnia inauguralia V. C. ERNESTI FRIDERICI PFOTENHAVERI, iam I. V. D. inuitauimus.

b) SENECA de Beneficiis Lib. VI, c. 15. cf. L. 63. §. 2. D. ad L. Falcid.



entorem inuenire possit ^{c)} Ob hanc ipsam causam legislatoribus illud iustum videri pretium, quod rei conuenit eo tempore, quo restituitur, si vel ex pacto protimiseos, vel ex iure retractus ad eum perueniat, quae eius adipiscendae potestatem habuit. Denique entorem, qui rem sub pacto de retrouendendo possidet, si sumtus in eandem faciat, reluentis quasi negotia gerere, et pecunias suas in rem quasi alienam conuertere; hinc retrouendentem de damno vitando, reluentem autem de lucro captando certare, illiusque partes fauorabiliores esse.

Firmant ea, quae proferunt argumenta, legum auctoritate. Prouocant enim ^{d)} ad *NERATIVUM*, apud quem haec verba leguntur: „*Ab emitione venditione, locatione conductione, ceterisque similibus obligationibus, quin integris omnibus, consensu eorum, qui inter se obligati sunt, recedi possit, dubium non est, ARISTONI hoc amplius videbatur, si ea, quae me ex ento praestare tibi oporteret praestitissim, et tu mihi pretium deberes, conuenisset mihi tecum, ut rursus praestitis pretium te debere desinere, quia bonae fidei, ad quam omnia haec rediguntur, interpretatio hanc quoque conuenitionem admittit, nec quicquid interest, utrum integris omnibus, in quae obligati essemus, conueniret, ut ab eo negotio discederetur: an in integrum restituis his, quae ego tibi praestitissim, consentiremus, ne quid tu mihi eo nomine praestares. Illud plane conuenio*“

^{c)} *L. 33. D. ad L. Aquilianam.*

^{d)} *AVGVSTIN. LEYSERVS in selectis de Pacto retrouenditionis obseruationibus, quae nomine IO. EHRENFRIED MARTINI prodierunt Wittebergae A. MDCCXI. et in Med. ad Pand. Spec. CXCI. M. 9. IO. GODOFR. SCHAYMBVRG in Compend. Iur. Pandeit. Lib. XVIII. Tit. I. §. 21. IO. AVG. HELLFELD in Iurisprud. forensi, §. 999. ERN. GODOFR. SCHMIDT in libello, cuius titulus est: Theoretischer praëtischer Commentar über seines Vaters D. IO. LVD. SCHMIDTS praëtisches Lehrbuch von gerichtlichen Klagen und Einreden, T. IV. §. 910.*



„uentione, quae pertinet ad resoluendum id, quod actum est, perfici non potest, ut tu, quod iam ego tibi praestiti, contra praestare tibi cogaris, quia eo modo non tam hoc agitur, ut a pristino negotio discedamus, quam ut nouae quaedam obligationes inter nos constituantur, e)“ ut probent, in ipsa retrouentione, in qua consummanda emtor ea, quae venditor iam praestitit, contra praestare cogitur, nouam constitui obligationem, ideoque nouae, quae iam celebratur, uenditioni, pretium etiam sigillatim definiendum esse. Verosimile enim non est, magnum illum LEYSERVM, ut videtur WERNHERO, f) qui saepius tamen in eundem atrem bilem euomuit, putasse NERATIUM in his ipsis, quae excitauimus, uerbis, de pacto retrouentionis in specie egisse, cum, recte momento WERNHERO, pactum de tollenda ea, quae iam inita est, conuentione, a pacto de retrouendendo omnino differat, et, si ex hoc pacto de retrouendendo res restituatur, fructus percepti apud emtorem remaneant, per illud autem pactum de tollenda ea, quae inita est, conuentione, totum, quod contractum est negotium, ita rescindatur, ut nullum omnino commodum ex priori uenditione apud emtorem remaneat, quasi sub ea lege uenditio contracta esset, ut si intra certum tempus soluta sit quantitas, res sit inemta, g)

Praeterea in rem suam utuntur uerbis VLPiani: h) „Si flatu liber surreptus sit, uel res sub conditione legata: deinde antequam adeatur, extiterit conditio, furti iam agi non potest, quia desit interuise haereditis: pendente conditione autem tanti aestimandus est, quanti emtorem potest inuenire,“ i) et CELSI „Constituimus uero, ut, si paratus est dominus
a 3 „tantum

e) L. 58. D. de Pactis.

f) MICH. GODOFR. WERNHERVS in lectiss. Comment. ad Pandect. Lib. XVIII. Tit. I. §. 34.

g) L. 7. C. de Pactis inter emtor. et uendit.

h) AVG. LEYSERVS l. c.

i) L. 52. §. 9. D. de Furtis.



„tantum dare, quantum habiturus est possessor his rebus ablatis, fiat ei potestas, neque malitius indulgendum est.“ ^{k)} denique IMPP. M. ANTONINI ET L. VERI ^{l)} (hi enim in libris iuris nostri, quia primum pari potestate atque auctoritate imperium Romanum administrauerunt, et ex adoptione fratres fuerunt, *Diui fratres* dicuntur), qui, CALLISTRATO id referente, ^{m)} rescripserunt: „in venditionibus fiscoalibus „fidem et diligentiam a procuratore exigendam, et iusta pretia, non ex „praeterita emtione, sed ex praesenti aestimatione constitui,“ vt doceant, semper iustum illud pretium videri, quanti res praesenti tempore vendi possit. Immo quidam eorum, qui in retrovenditione praesens rei pretium deberi statuunt, ⁿ⁾ vt nouo quasi argumento hanc sententiam corroborarent, ad rescripta IMPP. HONORII ET THEODOSII prouocant, qui veteribus fundorum publicorum conductoribus, in conductione eorum praerogatiuam tribuunt, si facta per alios augmenta suscipiant, et idem offerant mercedis augmentum. ^{o)} Docent denique ex ipsis legibus constare, in aliis causis illud pretium, quod praesenti tempori conuenit, numerandum esse, si vel ex iure protimiseos, vel ex iure retractus, res vendita iterum vendatur. Laudant in hanc rem rescriptum CONSTANTINI, ^{p)} cuius verba haec sunt: „Si quis propter nimiam paupertatem „egestatemque, victus causa, filium filiamve sanguinolentos vendiderit, „venditione in hoc tantummodo casu valente, emtor obtinendi eius seruitii „habeat

k) L. 32. D. de Rei vindic.

l) HEINR. COSELIVS in *Diss. de emtione venditione*, Th. II, not. k.

m) L. 3. §. 5. D. de Iure Fisci.

n) HENR. ZOESIVS in *Comment. ad Pandect.* Lib. XVIII, Tit. III, n. 18, et in *Comment. ad Codic.* Lib. IV, Tit. LIV, Qv. 12. IO. VOLKM. BECHMANN in *Diss. de pacto redimendi*, Th. V, not. d. LEYSERVS h.c.

o) L. 4. et 5. C. de Locatione praedior. ciuil.

p) HENR. COSELIVS in *Diss.* laud.



„habeat facultatem: licet autem ipsi, qui vendidit, vel qui alienatus est,
„aut cuilibet alii ad ingenuitatem eum propriam repetere: modo aut si pre-
„tium offerat, quod potest valere, aut mancipium pro eiusmodi praestet,“^{g)}
et IUSTINIANI constitutionem,⁷⁾ qua sancitum est, ut emphyteuta,
qui ius emphyteuticum in alium transferre velit, „attestationem domino
„transmittat et praedicat, quantum pretium ab alio re vera accipi possit.“⁸⁾
nec non decretalem GREGORII P. epistolam, his verbis conceptam:
„Potuit emphyteuta (Ecclesia primum requisita, eique nunciato, quantum
„sibi ab aliis offertur, si nolle se emere dixerit, vel a denunciatione duorum
„mensum spatium sit elapsum) meliorationes et ius sibi competens ven-
„dere,“⁹⁾ et legem IMP. FRIDERICI I. quae iubet, ut qui iure promi-
„mifeos uti velint, iustum pretium solvant, aut quantum quiuis emtor sine
„fraude dederit.“¹⁰⁾ Iungunt his ipsis legibus Iureconsulti Saxones¹¹⁾ Con-
stitutionem AVGVSTI, Principis Electoris Saxoniae, quae ei, cui ius
retractus competit, facultatem concedit, bona, licet vendita et tradita
sint, intra anni spatium, perfoluto eo pretio, quo res hoc ipso tem-
pore venit, et impensis meliorationum restitutis, retrahendi,¹²⁾ et Edi-
ctum FRIDERICI AVGVSTI, Poloniarum regis, et Saxoniae Electo-
ris, quo cauetur, ut pertinentiae praedii, quae sine consensu supremi
Collegii, quod res ad Aerarium spectantes curat, venditae sunt, potes-
fori

g) L. 2. C. de Patribus, qui filios disfraxerunt.

7) HENR. ZOESIUS in Comment. ad Pand. l. c. ANTON. PEREZ, in Prae-
lect. ad Codic. Lib. IV. Tit. LIV. n. 17. IO. VOLKM. BECHMANN in Diss.
de pacto redimendi. Th. V. not. d.

8) L. ult. C. de iure emphyteut.

9) C. 4. X. de Locato et Conducto.

10) V. Feud. XIII.

11) AVG. LEYSERVS in Med. ad Pand. Spec. CXCI. M. 9. et GAR. FERD.
HOMMELIUS in Rhapsod. Obf. CCCXXVI.

12) Constitut. Electoral. P. II. Const. XXXII.



fori praedii principalis, si id postulauerit, reddito praesenti fundi pretio, retrouendantur. ^{z)}

At quamuis haec ipsa argumenta veri quandam speciem habeant, neque negari possit, retrouentionem, quae in ipso pacto de retrouendendo perficitur, nouam quasi esse et separatam a prima venditione conuentionem, qualis etiam adest, si omnibus integris manentibus, de augendo, vel minuendo pretio, partes conuenerint, ^{a)} ita ut quasi renouatus contractus videatur, ^{b)} in quaui autem venditione illud iustum uideri pretium, quod ei tempore conuenit, quo contractus initur, cum pro temporum conditione rerum pretia varia sint, denique praesentis temporis pretium ei deberi, qui vel ex iure protimiseos, vel ex iure retractus, rem alteri tradere vendereque debet: nos tamen ea non tam graui esse putamus, ut iisdem moti, ab ea sententia recedamus, quam supra ueriores esse, et iuris analogiae conuenire docuimus.

Nam ipsa retrouenditio, ut supra a nobis comprobatum est, per pactum de retrouendendo primae venditioni adiectum, quod uerbis *hic auf Wiederkauf* aut *wiederkänflich* continetur, ita perficitur, ut non noua plane sit haec ipsa, quae ex pacto adiecto fit, venditio, neque ipsa eodem tempore contrahatur, quo ex huius pacti vi atque potestate prior venditio resoluitur, et res, de qua actum est, priori domino eiusue haereditibus redditur: sed ut iam ea, quae cum priori venditione eodem tempore inita est, retrouenditio, eueniens casu, pretio scilicet a priore uenditore oblato, consummari debeat. Pactum enim illud de retrouendendo, quod priori venditioni accessit, est pars ipsius prioris contractus, in quo continetur, ^{c)} proficitque ad nouum contractum ita, ^{d)} ut pacificantes

^{z)} Mandatum d. d. Draesdae d. XXVI. Ianuar. An. MDCCXXXII. in Supplem. Cod. Aug. P. II. p. 158.

^{a)} L. 72. D. de contrah. emt.

^{b)} L. 7. §. 6. D. de Pactis.

^{c)} L. 72. D. de contrah. emt.

^{d)} L. 27. §. 2. D. de Pactis.



ciscentes eo tempore, quo primam venditionem, ex qua iura emtoris pendent, iniere, per pactum de retrouendendo eidem adiectum, futuram etiam venditionem, sub ea conditione, si pretium a venditore oblatum fuerit, quae retrouenditio appellatur, celebrasse videantur. Quoties enim id inter partes agitur, ut oblato pretio res vendita venditori restituatur, toties etiam pactum de retrouendendo adesse censetur. *)

Licet igitur ad retrouenditionem commode applicari possint ea, quae dicit *NERATIUS*, „*conuentione perfici non posse, ut tu, quod iam ego tibi praestiti, contra praestare mihi cogaris.*“ f) nec per solum hoc pactum, quod ad resoluendum id, quod actum est, pertinet, re iam insecuta, id est, post ipsius rei traditionem, in integrum restituantur omnia; g) neque post solum pretium, emtione repetita, prior emtio infecta fiat, h) cum re quidem integra, id est, re nondum tradita, neque pretio persoluto, ab emtione vel venditione vtriusque partis consensu recedi possit, quia, quod consensu contractum est negotium, contrariae voluntatis adminiculo dissoluitur; i) post traditionem autem interpositam, nuda voluntas non resoluat emtione, nisi actus quoque prior similis retroagens venditionem intercesserit; k) ideoque re subsecuta, rei etiam traditae redditione adhuc opus sit, indeque noua per id pactum obligatio constituitur: haec ipsa tamen causa nullo modo nos impedit, quo minus in hac noua quasi obligatione illud pretium partibus placuisse censeamus, de qua in prima eiusdem rei venditione actum est. Hoc enim

e) *ALEXANDER FABER* in *Diss. de Emptione - Venditione, Locatione, Conductione et contractu emphyteutico* §. 19. 10. *VOLKM. BECHMANN* in *Diss. de pacto redimendi* Th. II, not. a. *HENR. COSELLVS* in *Diss. de Emptione et venditione*. Th. V. not. k. f) *L. 58. D. de pact.*

g) *L. 3. et L. 5. §. 1. D. de Rescind. vendit.*

h) *L. 2. D. eod.* i) *L. 30. D. de Solution.*

k) *L. I. C. Quando liceat ab emtione discedere* et *L. 53. D. de Reg. Iur.*



enim pretium eo tempore, quo haec ipsa noua obligatio contrahitur, et futura venditio sub conditione, si pretium venditor obtulerit, perficitur, aestimationi rei venditae respondet, et propter hanc ipsam causam iustum videtur, praesertim cum neutra pars de laesione sibi illata queratur.

Hinc omnes eae leges, quibus aduersarii nostri vtuntur, vt doceant, tanti rem aestimandam esse, quanti emtorem inuenire possit, non solum sententiae nostrae non nocent, sed eidem potius mirifice fauent. Nam cum eo ipso tempore, quo prima contrahitur venditio, per pactum de retrouendendo eidem adiectum, noua constituatur obligatio, de re emta, pretio oblato, venditori iterum restituenda; in aestimando autem vnus cuiusque rei pretio, non ad id tempus, quo contractus consummatur, sed ad id, quo idem celebratur, respiciendum sit: ^{l)} id pretium omnino iustum videtur, quod partibus in prima venditione, cui haec ipsa obligatio de retrouendendo accessit, placuit, ^{m)}

Neque leges, quae iubent, vt emtor, qui rem alteri vendit ex legis necessitate, vel quod hic ius retractus, vel ius protimiseos in re emta habeat, illud pretium accipiat, quod eidem ab aliis offertur, et quod praesenti tempori conuenit, ⁿ⁾ aduersariorum sententiam firmant, cum hae ipsae leges de iis tantum casibus agant, in quibus ii, qui vendunt, nullam de ipsius rei venditione conuentionem cum illis inierunt, quibus res tradenda est, per quam, cum contractus legem ex ipsa conuentione accipiant, ^{o)} pretium ipsius rei ex suo arbitrio definire potuissent, denique ius protimiseos, et ius retractus, a pacto de retrouendendo in pluribus rebus

^{l)} *L. 69. D. de contr. Emt. L. 8. C. de Rescind. vendit.*

^{m)} *MANDAT. wegen Bezahlung derer, während der Münzzerüttung ausgestellten Verschreibungen. d. d. Dresdae d. XVIII. Jul. MDCCCLXIII. § 7.*

ⁿ⁾ *CAR. FR. WALCHIVS in libello: Das Naecher-Recht systematisch entworfen. Lib. I. Cap. III. Sect. III. §. 3.*

^{o)} *L. 1. §. 6. d. D. Depositi.*



rebus differat, ideoque ob hanc ipsam causam, ab vno casu ad alterum argumentum vix commode duci possit. In retrouenditione enim libera voluntas emtoris, qui reposcenti venditori, pretiumque offerenti, se rem redditurum promisit, in aliis autem causis, legis necessitas contractum resoluit, et ius protimiseos, nouum emtorem, qui vt res ipsi vendatur, postulat, necessitate quadam adstringit, vt easdem conditiones adimpleat, quae iam ab altero emtore oblatae sunt, p) nisi, quod fieri omnino potest, disertis verbis inter contrahentes aliud actum sit. q) Ius protimiseos enim, vt vox ipsa satis clare testatur, siue ius praelationis, hanc tantum praerogatiuam ei, qui hoc iure gaudet, tribuit, vt in re emenda, oblati iisdem conditionibus, aliis praefertur, neque possessorem inuitum, vt rem suam vendat, cogit; sed eius arbitrio committit, an vendere velit, nec ne, necessitate tamen aliqua eundem obstringit, vt, si rem vendere velit, eum, cui ius protimiseos competit, reliquis emtoribus praeferat. Ius retractus autem, siue ex iure sanguinis, siue ex iure congrui, siue ex alia legibus probata causa exerceatur, (omne enim ius retractus ex legibus pendet, cum ius protimiseos ex lege ipsa, testamento, vel conuentione partium oriri possit) ius etiam complectitur, rem, intuitu cuius hoc ius exercetur, ab eo, qui rem possidet, licet eandem vendere nolit, oblati iisdem, quos ipse praefens rei possessor adimpluit, vel adimpleturus est, conditionibus, reuocandi, dummodo is, qui eandem possidet, rem nouiter acquisierit. Differt igitur a iure protimiseos in eo, quod hoc praerogatiuam tantum tribuat in alienatione facienda, si dominium nondum in nouum emtorem translatum fuerit, illud autem perfectam, immo per rei traditionem consummatam venditionem rescindat, indeque, translato iam in nouum emtorem dominio,

b 2

locum

p) GEORG. SAM. MADIHN in Diss. de Protimiseos eiusque a iure retractus discrimine. §. 2.

q) L. 122. §. 3. D. de Verb. Oblig.



locum habeat. *) Vtrumque autem ius et retractus et protimiseos locum habere non potest, nisi res iam vendita fuerit tertio, †) dominusque, qui rem olim possedit, eandem amplius habere nolit, sed in alium venditionis titulo transferre velit, ideoque sub ea demum conditione, si res ab antiquiore domino vendatur, exerceri poterit. Hinc a iure, quod quis ex pacto de retrouendendo habet, in eo potissimum differt, quod nulla vendendi necessitate dominum adstringat, qui tamen inuitus etiam ad vendendum actione venditi compelli poterit, si pactum de retrouendendo priori venditioni accesserit, et ipse venditor iure suo uti velit. ‡) Is enim, qui ius quaesitum ex pacto de retrouendendo habet, nequiquam expectare debet, donec accedant alii emtores, pretiumque profiteantur, sed ex pacto priori venditioni adiecto, actionem institueri potest, quae, cum a venditore exerceatur, actio venditi dicitur, aduersus eum, cum quo contraxit, eiusve haeredes, ut rem ipsam, oblato pretio, ex venditionis lege restituant. Praeterea ius ex pacto de retrouendendo, in eo etiam a iure protimiseos et retractus differt, quod illud locum habere non possit, nisi emtor ipse, contra quem ex hoc pacto actio instituitur, in hoc pactum consenserit, hoc autem saepius ex lege ipsa oriatur, indeque non consentientes ad rei, quam emerunt, venditionem obliget. Hi, cum pretium venditioni, de qua nequidem per somnium interdum cogitauerunt, definire non potuerint, ipsisque saepius inuitis emtor obtrudatur, damnum ex venditione sentirent, in quam non consenserunt, nisi illud pretium acciperent, quod rei hoc ipso tempore, quo venditur, conuenit, indeque aequum est, ne sine sua culpa damnum patiantur, ut id accipiant, quod accepissent, si aliis hoc ipso tempore rem vendidissent. Illi autem, qui ex pacto de retrouendendo, in quod consenserunt,

*) GEORG. SAM. MADIHN in *Diff. laud.* §. 9.

§) MICH. GODOFR. WERNHERVS in *lectij. Comment. ad Pandectas.* Lib. XVIII. Tit. I. §. 34. p. 649.

†) GEORG. SAM. MADIHN in *Diff. laud.* §. 6.

runt, dum rem emerent, ipsam rem iterum vendunt, damnum, si quod sentiunt, sua culpa patiuntur, ideoque illud non sentire videntur. *) Sua enim pactione, pretium huic ipsi venditioni, si rem accuratius ponderassent, definire potuissent. Quae cum ita sint, nec eadem sit conditio eius, qui ab re, quam emit, inuitus quasi per ius protimiseos vel retractus alteri competens repellitur, et illius, qui eandem rem, quam emit, ex pacto, quod iniit, iam reddere debet: ea, quae de his constituta sunt, quibus inuitis emtor, cum quo non contraxerunt, obtruditur, non recte transferuntur ad illos, qui ipsi, si voluissent, nouae venditioni leges dicere potuissent.

Denique facile etiam dilui potest argumentum HOMMELII, *) qui probaturus rem ex pacto priori venditioni adiecto, in quo de pretio nihil dictum est, retrouendituro illud pretium soluendum esse, quo res in praesens venire possit, rationes suas ita subducit, vt possessorem in meliorando praedio reluentis quasi negotia gerere dicat, dum suas pecunias in rem quasi alienam vertat, ideoque retrouendentem de damno vitando, reluentem de lucro captando certare asserat. Nam, qui sub pacto de retrouendendo rem emit, donec eidem pretium offerator, ipsius rei dominus est, ideoque si in eandem sumtus fecerit, non aliena negotia, sed sua gessisse videtur. Emtor enim, cum sub conditione, si pretium offeratur, retrouenditio contracta sit, nullaque sit deficiente conditione emtio, **) plenum rei dominium retinet, donec conditio extiterit, ideoque eadem demum existente in rem alienam sumtus facere, alienaque negotia gerere videtur, quod si fecerit, opposita doli mali exceptione, sumtus, quos in rem fecit viles, ab eo, cui res oblato eius pretio iam est restituenda, recuperare poterit. *)

b 3

Omnes

*) L. 203. D. de Reg. Iur.

**) CAR. FERD. HOMMEL in *Rhapsod.* Obs. CCCXXVI.

y) L. 37. D. de contrah. emt. et L. 8. pr. D. de Periculo et commodo rei vend. x) L. 61. D. Locati.



Omnes enim Iureconfulti, qui in hac ipsa retrouenditione illud pretium soluendum esse asserunt, quod in prima venditione partibus placuit, nisi aliud sigillatim definiuerint, vnanimi consensu docent, emtori siue retrouendenti, vna cum hoc ipso pretio, etiam aestimationem meliorationum, siue earum impensarum, quibus res ipsa melior facta sit, creueritque eius pretium, dummodo eo tempore, quo res ipsa restituitur, utilitas adhuc existat, refundendam esse, ^{a)} ne scilicet venditor cum alterius damno locupletior fiat, quod bonae fidei neutiquam conueniret. ^{b)} Inde etiam Ius Pictonum, obseruante ANDREA TIRAQUELLO^{c)} iubet, *ut retrahens legitimas impensas refundat*, et CONSULTATIONVM SAXONICARVM AVCTORES suam sententiam ita exprimunt: „*daß gegen Anbietung des Kaufgeldes und Ersetzung beweislicher Besserung, der Käufer oder seine Erben — solches Guth abzutreten schuldig.*“ ^{d)} Nam nisi haec ipsa limitatio adiiiceretur, et emtori etiam meliorationum impensae restituerentur, prior venditor saepius cum magno retrouendentis damno locupletior fieret, si fundum ab eius emtore, qui vana spe fretus,

a) FRANC. ZOANNETTUS in Tr. de emtione venditione n. 123. BENEDICTVS CARPZOVIVS in Def. for. P. II. Constit. I. Def. XXVII. GEORG. AD. STRVVIVS in Iurispr. Rom. Germ. Lib. III. Tit. XI. §. XVIII. et in Syntagm. Iur. Civ. Exerc. XXIII. §. XLV. SAM. STRYCKIVS in Annotat. ad Lauterbach. Lib. XVIII. Tit. I. p. 513. et in usu moderno Pand. Lib. XVIII. Tit. I. §. LIII. 10. HENR. BERGER in Oecon. Iur. Lib. III. Tit. V. Th. VIII. n. 4. IVST. HENN. BOEHMER in Introduct. in Iur. Pandect. Lib. XVIII. Tit. I. §. 34. MICH. GODOFR. WERNHER, in lectiss. Com. ad Pand. l. c.

b) L. 14. D. de Condiç. indeb. et L. 206. D. de Reg. Iur.

c) ANDR. TIRAQUELLVS de retracta conuentionali §. 6.

d) v. Illustres aureas solemnes diuque exoptatas Quaestionum variarum apud Iuris vtriusque interpretes controuersarum Decisiones et Discussiones. P. I. Qu. I. fol. 1^b.

fretis, venditorem fundum nunquam redempturum, eundem suis sumptibus meliorem fecisset, ex improviso quasi, ex pacto retrovenditionis, oblato eius pretio repeteret. Cum autem nemo ex aliena iactura lucrum facere debeat, ^{e)} et id ipsum officio iudicis contineatur, ^{f)} recte id, quod in malae fidei possessore PAVLLVS locum habere censet, ut in impensas deducere possit, si res melior sit, ^{g)} ad emptorem transfertur, qui rem iam meliorem factam, suaque diligentia auctam, ex pacto retrovenditionis reddere debet, ut eidem etiam sumtus utiliter facti restituatur, et in illis aestimandis ad id tempus respiciatur, quo res ipsa restituitur. ^{h)}

Nam quamvis hic bonae fidei possessor sit, quippe qui titulo ad acquirendum dominium habili, rem hactenus possedit, ideoque meliori iure, quam malae fidei possessor utatur; emptori autem omnes expensae, quas bona fide fecisse adprobauerit, restituantur, si emtionis contractus ex beneficio minoris aetatis rescindatur, ⁱ⁾ nisi solius voluptatis causa eas fecerit, quas auferit ita, ut pristina rei facies, quae ante venditionem fuit, restituatur, ^{k)} et negotiorum gestor omnes sumtus recipiat, quos fecit, dummodo negotium utiliter gestum sit, licet effectum non habuerit, nec vllum commodum ad dominum redundauerit, ^{l)} denique procuratori sumtus bona fide necessario facti, etsi negotio finem adhibere non potuerit, restituantur, ^{m)} hae tamen legum dispositiones vix nostrae causae accommodari possunt, cum multum intersit, obseruante MERVIO, ⁿ⁾ vtrum alicui ex lege contractus, vel quasi expensae debeantur,

an

e) L. 206. D. de Reg. Iur. f) L. 38. D. de haered. petitione.

g) L. 38. D. eod. h) L. 58. D. de Legatis I.

i) L. 39. §. 1. D. de Minor.

k) L. 32. §. 5. D. de Administr. et pericul. tut.

l) L. 10. §. 1. D. de Negot. gestis.

m) L. 56. §. 4. D. Mandati.

n) DAV. MERVIUS in Decis. P. III. Dec. XLI.



an melioramenta ob praesitam utilitatem, et maius ius omnino habere videatur is, qui perpetuum rei dominium consecutus est, quod ex causa superueniente rescinditur, quam ille, qui rem ea lege emit, ut eandem quandoque venditori restitueret. Ille in rem suam, et ab ipso non recessuram sumtus fecit, hic in eam, quae nunc quidem sua est, sed eius dominium quandoque ab eodem recessuram sciuit. Aequitas igitur ipsa suadet, ut illi omnes omnino, quas in rem ipsam fecit impensas, restituantur, si dominium eius, impetrata in integrum restitutione, rescindatur, ne sine sua culpa damnum aliquod patiat. At alia est causa eius, qui sciuit, rem, cuius dominus est, ex pacto de retrovendendo ad priorem dominum quandoque redituram esse. Hic enim sibi impudet, quod plures impensas in eam rem fecerit, quam reuocabili tantum dominii iure possedit. Ne igitur sumtibus minus necessariis faciendis, venditorem ab ipsa retroemtionem arceat, eique reluendi facultatem interuertat, non omnes recipiet sumtus, quos fecit, sed eos tantum, qui rem ipsam meliorem reddunt, et viles appellantur,^{o)} quod in creditore fundum debitoris obaerati sub hasta emente, qui ab ipsa lege ad retrovenditionem obligatus est, si debitor intra anni spatium pretium obtulerit, ut meliores condiciones inuenerit, constituit Saxoniae Elector, IOANNES GEORGIVS, his verbis: „*soll — dem Gläubiger die scheinliche Besserung, und was er ins Guth gewandt, auf Ermäßigung widererstattet werden.*“^{p)} Nam viles etiam impensas in rem fiduciarium factas, olim is, qui easdem impendisset, iudicio fiduciae, scilicet contrario recuperare poterat, ut docet PAVLVVS.^{q)}

Erat autem res fiduciarium, quae alicui sub pacto fiduciae, quod eleganter exposuit FRID. CAR. CONRADI,^{r)} mancipabatur, ita, ut dominium

o) L. 5. §. 3. D. de Impensis in res dotal.

p) ORD. PROC. SAX. Tit. XXXIX. §. 13.

q) IUL. PAVLVVS in *Sentent. recept.* Lib. II. Tit. XIII. §. 7.

r) FR. CAR. CONRADI in *Exerc. binis de pacto fiduciae.*

minium in eadem acciperet temporarium et reuocabile, quod ex pacto, de restituenda olim re mancipata, quandoque ad dominum priorem rediret. Fiduciam enim veteres, obseruante HOTTOMANNO, ¹⁾ illum contractum dicebant, quo quis alterius fidem secutus, eidem rem aliquam sub pacto retrouendendi et remancipandi mancipabat, appellatione inde ducta, quod nulla alia re, quam fide et probitate emtoris fretus quis eam venditionem interposuisset. Lex igitur remancipandi, venditionibus per pactum fiduciae adiecta, efficiebat, vt pleno et perpetuo iure res mancipata, oblato a venditore pretio, eidem iterum manciparetur, ²⁾ ideoque cum pacto de retrouendendo in plerisque conueniebat, quare ea, quae a Iureconsultis Romanis de re fiduciaria dicta sunt, commode ad rem, quae sub pacto de retrouendendo venit, transferri possunt.

Cum autem ad viles impensas, quae refundendae sunt ei, qui rem ex pacto de retrouendendo, oblato prioris venditionis pretio, restituit, etiam quodammodo referri possint necessariae, si futuri commodi causa factae sint, ³⁾ et si quid ultra erogatum fuerit, quam quod in praesenti tempore impendi debeat, ⁴⁾ v. c. si aedes, quae ruinam minanter refectae, vel combustae restitutae sint, ita, vt ex his impensis necessariis non emtori solum, sed venditori etiam fundum redimenti commodum quaeratur: subrusticam et arrogantem MICH. GODOFR. WERNHERI cenforam, ⁵⁾ (liceat enim nobis haec ipsa verba, quibus in LEYSERVM inuehitur WERNHERVS, ⁶⁾ in eundem retorquere) non meretur, magnum nostrae quondam Academiae decus, AVGVSTINVS LEYSERVS, qui

5) FRANC. HOTTOMANNVS in *Comment ad Instit.* Lib. III. Tir. XXVII. §. 7.

1) FRANC. CAR. CONRADI in *Exerc. I. de pacto fiduciae.*

2) L. 3. D. de *Impensis in res dotales.*

3) L. 7. C. de *Vsufuctu.* L. 79 D. de *Verb. Oblig.*

4) MICH. GODOFR. WERNHERVS in *lectiss. Comment. ad Pandect.* Lib. XVIII. Tir. I. §. 34.

5) IDEM l. c. p. 648. et 650.



qui utiles tantum, non necessarias impensas retrouendenti restituendas esse docet.^{a)} Exempla enim, quibus vitur LEYSERVS, satis clare testantur, eum necessariorum impensarum nomine illas tantum completi, ex quibus nullum fere commodum ad redimentem redundat, et quae ad conseruandam ipsam rem, speciemque eius, alias interituram, ita necessariae sunt,^{b)} vt iisdem non factis, emtor re emta commode vti non possit, et in se habeant necessitatem impendendi; c) utiles autem eas appellare, quae licet necessariae sint, redimenti etiam utilitatem praestant. Has repeti posse censet, illas refundi negat, quia iisdem non factis res ipsa vel periiisset, vel deterior et inutilis facta esset. Hinc emtorem, onera realia, collectas, tributa, fundo sub pacto de retrouendendo vendito inposita, recipere negat, quia haec impendia fructuum onera sunt,^{d)} eundem autem rem factam tectamque suis sumptibus praestare debere affirmat, hac vsus ratione, quod iniquissimum sit, venditorem reuientem restitutione impensarum in conseruationem rei factarum, ex qua nullam utilitatem percepit, onerari, cum secundum naturam sit, incommoda ad eum pertinere, quem sequuntur commoda. e) Hoc autem LEYSERI argumentum satis prodit, hanc ab eo tradi regulam: emtorem, qui sub pacto de retrouendendo rem emit, quam iam ex hoc ipso pacto restituere debet, eos tantum sumtus recuperare, quibus ipsius reuientis utilitas augetur, et qui hanc ipsam ob causam utiles dici possunt. Ipse enim sumtus in domus combustae reaedificationem erogatos, emtori restituendos esse docet,^{f)} et in hac ipsa re sequitur PAPINIANVM, qui „domus hereditarias exustas, et haeredis nummis exstructas, ex causa fideicommissi post mortem haeredis restituendas esse, viri „boni

a) AVG. LEYSERVS in *Med. ad Pand. Spec.* CXCI, M. 13. et 14.

b) L. 16. *D. de Impensis in res dotales.* c) L. 1. §. 1. *D. eod.*

d) L. 7. §. 2. *D. de Vsufr.* L. 13. *D. de Impensis in res dotales.*

e) L. 55. *D. Pro socio* et L. 10. *D. de Reg. Iur.*

f) AVG. LEYSERVS l. c. M. 15.

„boni arbitrato, sumtuum rationibus deductis, et aedificiorum aetatibus
 „examinatis &“ respondit, denique rem totam ad iudicis arbitrium re-
 dire censet, his verbis usus „Prudentis iudicis est, mediam tenere viam,
 „atque ita in pronunciando versari, ne vel emtor vel venditor de damno
 „et inaequalitate conquiri queat“ et „Aestimabit iudex pro ratione cir-
 „cumstantiarum, et facultatibus venditoris, quousque emtor impensas vi-
 „les factas debeat recuperare“ exemplum VLPIANI imitatus, qui „neque
 „delicatum debitorem, neque onerosum creditorem audiendum esse“ respon-
 dit.^{b)} Hic enim VLPIANI locus commode ad eam, quam tangimus,
 quaestionem, adplicari potest, quia, obseruante ERNESTO MARTINO
 CHLADENIOⁱ⁾ in hoc ipso loco Vlpianus disquisiuit, quaenam im-
 pensae creditori sint restituendae, si is in pignus fiduciarium, i. e. cuius
 dominium sub lege remancipandi habuit, impensas fecerit. Facile tam-
 en largimur, eam, quam VLPIANVS et LEYSERVS commendant,
 aequitatem suadere, vt emtori impensae, quas in tributa bellica sub
 comminatione vastationis et incendiū indicta fecit, et sumtus, quod in
 ipsius rei conseruationem etogauit haud modicos, restituantur, si per haec
 tributa vel sumtus maiores ipsius reuolentis vtilitas auclta fuerit, v. c. si hic,
 paucis tantum annis interiectis, fundum, quem suis sumtibus conseruauit
 emtor, iam oblato prioris venditionis pretio redimere velit.^{k)} Nam si
 post longius demum tempus, intra quod is, qui fundum haecenus posse-
 dit, damnum, quod passus est, ex fructibus perceptis quodammodo re-
 farcire potuerit, fundus reuatur, aequum putamus, vt damnum, quod
 casu accidit, ad emtorem, vt rei ipsius dominum spectet.^{l)} Res enim,

c 2

quam

g) L. 58. D. de Legatis I.

h) L. 25. D. de pignor. actione.

i) ERN. MART. CHLADENIUS in Diss. de debitore delicato in contrario fidu-
 ciae iudicio, quam Praefide ANDR. FLOR. RIVINO defendit A. MDCCXIII.

k) MICH. GODOFR. WERNHERVS l. c.

l) IO. HENR. BERGERVS in Supplem. ad Electa Discept. forens. P. II. T. XLII.
 p. 865. CAR. GODOFR. WINCKLERVS in libello, cuius titulus est: Rech-
 tliche Abhandlung von Kriegsschäden, Beilage N. XIV. p. 62.



quam sub pacto de retrouendendo emit, quamdiu non reddatur, pleno iure ad eundem pertinet. Cum igitur idem omnes fructus ex re ipsa percipiat, aequum omnino est, vt, si rei fatale damnum acciderit, illud aequo animo ferat.

Optime, vt nobis videtur, totam hanc rem exposuit IO. VOLKM. BECHMANNVS,^{m)} qui docet, necessarias et vtilis impensas emtori a venditore refundendas esse, dummodo illae perpetuum rei vtilitatem respiciant, hac autem non sint immodicae et nimis onerosae; porro necessarias, quae commodum repetentis solum concernunt, et modicae sunt,ⁿ⁾ non repeti, sed cum fructibus perceptis compensari, denique si vtilis in fraudem venditoris factae sint, vt is rem venditam redimere non possit, aequius esse, vt emtor sua pecunia, quam venditor rem iam redempturus, re sua careat.^{o)} In genere tamen cum NERATIO dicendum est, „*quae impendia secundum eam distinctionem refundi debeant, non tam facile in vniuersum definiiri, quam per singula ex genere et magnitudine impendiorum aestimari posse.*”^{p)}

Ex his autem, quae haecenus disputata sunt, sequi omnino videtur, analogiae iuris magis conuenire eorum sententiam, qui docent, illud pretium in retrouenditione soluendum esse, quo res primum vendita est, ita tamen, vt emtori vtilis etiam impensae restituuantur, quam illorum, qui praesens rei pretium deberi statuunt. Hanc ob causam etiam ordo noster hanc sententiam probauit, praesentibus Illustri Regimine Rutheno, et Iure Consultis Marpurgensibus et Erlangensibus Mense Ianuario A. MDCCXCV. in causa *Iohann Gottfried Rühlings* contr. *Ioh. Christoph Gruner* und *Ioh. Gottfr. Scharlach*. Sed missa hac lite, iam ad

^{m)} IO. VOLKM. BECHMANN in *Diss. de Pacto redimendi* Th. VIII. not. e.

ⁿ⁾ L. 12. D. de *Impensis in res dotales*.

^{o)} arg. L. 27. §. vlt. et L. 33. de *Rei vindicat*, L. 8. D. de *Impensis in res dotal*. L. 79. §. 1. D. de *Verb. Sign*.

^{p)} L. 13. D. de *Impensis in res dotales*.

ad id veniamus, cuius causa haec a nobis scripta sunt. Instat enim dies, quo summi in utroque iure honores, quos meretur, tribuentur

VIRO PRAESTANTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
CAROLO SALOMONI ZACHARIAE

MISENENSIS

IVRIVM CANDIDATO DIGNISSIMO

Qui eum, quem tenuit haecenus vitae cursum, his verbis exposuit:

Natus sum Misena anno MDCCLXIX. IOANNEM AVGVSTVM, Causarum patronum, FRIDERICAM ELISABETHAM e familia HESSE (cuius nunc princeps est, qui diaconi munere ad aedem crucis Dresdae fungitur, auunculus multis mihi nominibus Colendus,) parentes veneror. Quibus utinam pro pietate, pro fide, qua me inde a puero souerunt et etiamnum fouent, iustas persoluere gratias possim. Quum e priuatis, SCHWARZII potissimum scholis, Viri immortaliter de me meriti, qui nunc Conrectoris munere Gorlitii fungitur, tantum ipsis profecisse viderer, ut inter alumnos illustris Afranei, quod urbem patriam ornat, recipi possim, per tres deinceps annos b. GOTTLIBERO, MATTHAEI, quem nunc Viteberga habet, MVLLERO, TZSCHVKIO, SCHREGERO, et LVIDECKIO, praeceptoribus in hac schola usus sum. Anno 1787. Lipsiam, iuris prudentiae operam daturus, me contuli. Itaque a BORZIO V. I. Rectore tum academiae Magnifico in album civium academicorum relatus, in iure civili BIENERVM, HAVBOLDVM, et SAMMETVM; in iure Germanico privato, criminali et canonico b. SCHOTTVM, in tractando ordine iudiciorum eundem et EINERTVM, in iure publico Germanico et Saxo-nico ARNDTIVM et SIEGMANNVM secutus sum. Cumque artes,

quae ab humanitate nomen habent, a iure civili minime seiungendas esse,
 mature intellexissem, in interpretandis scriptoribus Latinis ac Graecis,
 et in exercitationibus, quibus loquendi scribendique facultas excolitur,
 BECKIVM, DINDOREIVM, ERNESTIVM utrumque, et b. REI-
 ZIVM, in historia BECKIVM, WEISIVM, et WENCKIVM, in phi-
 losophia CAESAREM, HEIDENREICHIVM, PLATNERVM, au-
 ctiores et praeceptores habui. Quo in loco beneficia, quae KLAY-
 SINGII, Professoris S. S. Antiquitatum, cui amita, matrona hone-
 stissima, nupta est, liberalitas in me contulit, innumera atque amplissi-
 ma, animus recordatione praeteriti temporis exsultans sileri haud pati-
 tur. Tua, inquam, prudentia, Tuis consiliis factum est, ut scopulos,
 ad quos iuventutis temeritas haud raro alliditur, cautior ego vitarem;
 Tuae item humanitati ac benignitati debeo, quod, qui omnibus difficul-
 tatibus ac molestiis, quibus paupertas premi solet, laboraturus fuisset,
 hoc omne tempus, quo Lipsiae fui, solutus cura ac sollicitudine transegi.
 Cum iam quinque annos Lipsiae versatus essem, WEISII, a rexitibus
 provincialibus Viri Venerandi, humanitate ac benevolentia, Illustrissimo
 Comiti ab EINSIDEL S. Electori a secretioris conclavis consiliis, quem
 magnum rerum mearum fautorem veneror, commendatus, FERDI-
 NANDO, Comiti a LIPPE studiorum socius adiunctus sum. Ita factum
 est, ut per duo deinceps annos cum iuvene praeclarae et generosae
 indolis studia, quae cege deferueram, Vitebergae continuare possem.
 Ibi in iure civili HOMMELII, WERNSDORFII, KOHLSCHÜT-
 TERI, in iure canonico et Saxonico WIESANDII, in processu MENKE-
 NII, in historia SCHROEKHII, in mathesi EBERTI, in philosophia
 eiusdem et KLOTZSCHII, in disciplinis, quas cameralisticas vocant,
 ASSMANNI, LANGGVTHI et TITII auctoritatem et praecepta se-
 cuti

euti summus; et ego quidem re ipsa intellexi, quantum prodesset, eas-
 dem literas denuo ab aliis doctoribus accipere. Cum vero exacto bien-
 nio res ita ferret, ut iuuenis ille generosus et auitae gloriae haud imme-
 mor, togam cum sago permutare mallet; iurisprudentiam, quod diu
 placuerat consilium, in hac academia publice profiteri constitui. Ita-
 que postquam a Iureconsultorum ordine, qui Lipsiae de iure respondet,
 et a quo Baccalaureus utriusque iuris fueram renunciatus, veniam
 eius rei impetraueram, examen, quod vocant, rigorosum in hac aca-
 demia subii, et inde ab eo tempore scholas, quibus varias iurisprudentiae
 partes explicarem, publice priuatimque aperui. Accendebat animum
 ad laborem indefesso studio subeundum, quod Principis, Patris patriae,
 liberalitate, et Lipsiae et Vitebergae res augusta domi insigniter aucta
 est. Praeterea ea in me fuit Virorum illustrissimorum **BVRGSDORFII**
S. Electori a conferendis consiliis et **LOCHAVII** a secretis consiliis facti,
 quos fautores et patronos clientis obsequio prosequor, benevolentia at-
 que benignitas, ut suum uterque filium arctiori mecum vinculo coniun-
 ctum esse vellent. Iam vero nihil restat, nisi ut, more maiorum, quae
 publice proposuerim, paucis exponam. Sunt autem haec: de officiis
 perfectis. *D. Lips. 1791. 4. Von dem Ursprunge des Leipziger*
Oberhofgerichts. In D. Ch. E. Weiße's Musäum für die Sächsl. Ge-
schichte, Litteratur und Staatskunde 1 B. 2 St. Leipzig 1794. Ueber
den moral. Glauben an Tugend. In Schmid's Journal für Moralität,
Religion und Menschenwohl 4 B. 1 St. Ueber das ausschließende Sitz-
und Stimmrecht des alten Chur Sächsl. Adels auf Landtagen. In dem
a. Mus. für die S. G. 2 B. 1 St. Grundlinien einer wissl. jurist. En-
cyclopädie. Leipzig 1795. 8. Ueber die wissenschaftl. Behandlung
des röm. Rechts. Wittenb. 1795. 8.



Is cum Illustri Iure Consultorum Lipsiensium ordini, in examine, quod Iurium Candidatis subeundum est, profectus studiorum ita approbasset, ut eundem *omnino et prae ceteris dignum* iudicaret, cui reliquis speciminibus defuncto, summi utriusque Iuris honores conferrentur, ad nos venit, et examen secundum, quod rigorosum vocant, consentientibus Iureconsultis Lipsiensibus subiit, in eo autem tantam et tam variam eruditionem ostendit, ut edito ultimo, quod exigi solet, specimine, laurea doctorali ex merito ornari possit. Edet hoc specimen proxima die Iouis, quae erit XXX. Iulii huius anni, et *Origines Comitiorum, quae in Imperio Sacro Romano-Germanico celebrantur*, quas scripsit, sine Praefide, quod est SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE beneficium, publice defendet, et, exantlato hoc ipso labore, summos in utroque iure honores consequetur. Hunc actum solemnem, ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLUSTRISSIMI COMITES, OMNESQUE DIVINARVM HUMANARVMQUE LITTERARVM DOCTORES, nec non GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI CIVES, denique OMNES, QUI LITTERIS FAVENT, honorifica grataque praesentia sua illustriorem reddere velint, omni, qua decet obseruantia, et meo, et Ordinis mei nomine, rogo. P. P. Vittebergae Saxon. Dominica VIII. post Festum S. Triados A. O. R. MDCCXCV.

VITTEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.





ULB Halle 3
001 558 609



TA-206







1795 y 34

ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA WITTEBERGENSI

H. T.

D E C A N V S

GOTTLIEB WERNSDORFFIUS

PHILOSOPHIAE AC IVRIVM DOCTOR, INSTITVTIONVM

IMPERIAL. PROFESSOR PVBL. ORD. CVRIAE PRO-

VINCIALIS, SCABINATVS ET FACVLTATIS

IVRIDICAE ASSESSOR.

1795

